



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Vita, Et Gestis S. Francisci Xaverii È Societate Iesv
Indiarvm Apostoli Libri Qvatvor**

Bartoli, Daniello

Lvgdvni, 1666

10. Malacâ discedens, duo vaticinatur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10854

quæ illi Christianitati utcumquæ fat foret, ad Amboini regna, & insulas, sollicitudinem conuertit. Ad hoc pridem fidei rudimenta in Malaium idioma, multo sudore transfulerat, commendaratque memoriæ quò mox ut eo peruenisset, manum statim diuino operi applicaret. Ac Malacæ quidem ægrè admodùm erat ab eo deseri, sed non æquè ipsi Malacam relinquere; nam et si multò alia tunc erat, ab ea quæ antè fuerat, sed tam altis hærebat radicibus eorum improbitas, quorum gradus exempla scelerum trahebat in populum, ut iis renellendis, quantum & intonuerat vehementer, & prodigiôsè Xauerius egerat, frustra videretur. Quare diuino commercio Apostoli mentem, futuri notitia peruadente, præfagus cladium post annos aliquot vrbi scelestæ minantium, pro concione sæpiùs illas intentabat, sed conatu fermè inutuli, ut inanes quoque fierant lachrymæ, & quadriduana interdum inedia, & vexandi asperitas corporis, ad impetrandum iis malorum remedium, quibus fœdo sepultis lethargo præter insanas voluptates, nihil quicquam pensi erat.

10. Nauem ergo Amboinum versus paratam conscendit, & Eiro socio Ianuarii calendis, Anni 1546. sublatis anchoris alto mari se dedit, Gubernator quidem, & nauarum primi Lusitani; turba seruorum, & militum magnam partem Indi, & idolis addicti; verùm eos breui Xauerius errorem dedoctos, salutis aqua lauit, nam præter validas rationes expugnatat illos potissimùm quotidianis sermonibus, quos aut lingua cuiusque ad eos habebat, sibi prorsùs ignota; vel si Lusitana, sic tamen ut horum vnicuique perindè caperetur ac propria, de quo erit aliud dicendi locus. Ibat mensis iam alter ad medium, ex quo Malacà discesserant; & afflabat semper in cursum ventus, nec Amboinum apparebat; præteruictum nauæ suspicati, & quod consequens erat, spem omnem præcisam eò auris aduersis remeandi, quid opus factò consultum volebant, quibus blandè arridens Xauerius, velut longè femora oculis cerneret; de Amboino, inquit, laboratis? adhuc eius in sinu nauigamus, cras illum, ut primùm illuxerit salutabimus. Et verò die insequenti Febr. 14. in conspectum insulæ venerunt, quodque illis gratiùs accidit, qui ventus nauim Amboinum ferebat ad exponendum tantùm Xauerium; repentè in alium mutatus in Bandam Insulam quo cursum intenderant peruexit. In scapham cum paucis demissus Xauerius littus placidè inibat, cum inuolantibus prædatoriis duobus nauigiis in altum repellitur, manusque piratarum nec absque miraculo euadit, dum enim Scaphæ nauigia proximè imminet, veluti fugarentur dilapsa illicò videri desierunt; quæres socios habebat ancipites, auerrebátque ab insulâ nè fortè aditum ex aliquo angulo prædones suis insidiis obseruarent, metum illis exemit sanctus, monens (quod ex Deo cognorat) securè pergerent, nihil iam ab iis duobus piraticis, vel à quouis alio timendum; & verò Amboinum, Februarij sexto & decimo, commodè attigerunt.

IO
Malacà discedens, duo vaticinatur.

11. Atque